

DE OFFICIO EIUS QUI VICEM ALICUIUS IUDICIS OBTINET.

1.50.1

*Imp. Gordianus A Domitio pp.*

In causa quae spectat ad utilitatem rei publicae eum qui vice praesidis provinciae administrat potuisse cognoscere in dubium non venit, sane si in aliquo captum est ius rei publicae, iuxta scita divorum principum defensores rei publicae (si modo adesse fiduciam negotio putant) restitutionis auxilium possunt flagitare.

*D. III non. Nov. Sabino II et Venusto cons.*

[a. 240]

1.50.2

*Mandata Impp. Theodosii et Valentiniani AA.*

*missa ad Antiochum pp. per referendarium, quae sic habent:*

Suggestente magnificentia vestra docta imperialis aeternitas debere eos, qui praeceptione principali seu vestrae sedis amplissimae tueri locum rectorum provinciarum noscuntur, auctoritatem habere tutores seu curatores petentibus dare, decretum etiam interponere ad alienandas minorum similiumque eis personarum seu curialium facultates, emancipationes quoque legibus celebrare et omnia quae ad iurisdictionem rectoris provinciae pertinent actitare, praecipere dignata est pro dispositione vestrae celsitudinis praefatas huiusmodi sollicitudines peragendi habere licentiam.

*D. prid. id. Oct. Constantinopoli Hierio et Ardabure cons.*

[a. 427]